

**www.e-rara.ch**

## **Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum**

**Oecumenius**

**Venetiis, M D LVI**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De claudi curatione, & Petri super ea re ad Israelitas monitione, & exhortatione ad poenitentiam. Cap. III.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Frangentesq; in domo panem cibum sumebant in exultatione, & simplicitate cordis, laudantes Deum, & habentes gratiam apud totam plebem. Dominus autem eos qui salui fierent, ecclesie quotidie adiungebat.

Domum nunc templum vocat, in eo enim comedebant. Frangentes panem autem inquit, ut vilem ac parabilem victus eorum modum significet. panem enim frangentes sumebant cibum, non delicias querebant. atque ita vitam ex fide componebant, ac moderabantur: atque amice se habebant ad totam plebem. Quis enim pontifices ob invidiam ipsis essent infensi, apud populum tamen gratiam habebant: id autem ex elemosyna qua erga ipsum utebantur, & pura conuersatione ostendebatur. In cordis autem simplicitate, id est humilitate, & abiectioe, dum nihil sublimis de se cogitarent, nihilq; ex beneficijs & elemosynis quas faciebant, gloriarentur: id quod maxime Iudaicum erat: Quemadmodum ex iactante pharisaeo perspicuum est.

Luc. 13. b

De claudi curatione, & Petri super ea re ad Israelitas monitione, & exhortatione ad poenitentiam. Cap. III.

**SIMVL** autem Petrus & Ioannes ascendebat in templum ad horam orationis nonam.

Multa erat inter hos duos vnanimitas & amicitia: quippe cum huic in Domini passioe innuerit Petrus, ut magistrum interrogaret: & rursus ad sepulcrum simul cucurrerint: & de ipso rursus Petrus Christo dixerit, hic vero quid? Ascen-

Ioan. 13. c

Ioan. 20. a

Ioan. 21. f

debant autem in templum, non quod adhuc Iudaismum sequerentur, sed vtiliter ad infirmitatem aliorum sese demittentes accommodabant: vt curato claudus in templo multos qui viderat, testes haberent. multi enim illuc ob loci venerationem conuenerant. Cum vero horam etiam indicat, semper eos orationibus, & precibus vacare ostendit. templi etiam meminit: vt vtrisque & tempore videlicet & loco ea quae scribit, confirmet. Cui vero multa alia miracula ab apostolis fierent, vt qui haec scribit Lucas, superius dixit, nullum ex illis nominatim commemorat: sed id tantum scribit, ex quo omnes commoti sunt. illa enim fortasse vel quia videbantur parua, negligebat: vel quia non iactantiae causa opus hoc conscribebat.

Et quidam uir qui claudus ex utero matris suae erat, haurabatur, quem ponebant quotidie ad ostium templi quod dicitur speciosum, ut eleemosynam ab ingredientibus in templum peteret. is cum uidisset Petrum & Ioannem qui ingressuri erant in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet. intuitus autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: respice in nos. ille uero intendebat in eos sperans se aliquid ab eis esse accepturum.

Cur nomen claudi non refert? propterea quod neque apostoli illud norant, prorsus enim ignotus ipsis homo hic erat. atque id effectum est, ne ex obsequio, & affectu sanationes facere viderentur: ne ve aliqua simulationis suspicio vel apud impudentissimos quosque subesse posset, quod in gratiam apostolorum aliqui ex eorum familiaribus se sanos esse

factos simularent. Sed cur post sanationem nomen eius non didicerunt: eo quod ocium ipsis non erat, ut in rebus nullam utilitatem afferentibus occuparentur. Sed qua de causa antea non adductus fuit ad Christum, ut sanaretur: fortasse quia qui assidebant templo, infideles erant: quippe cum neque ad apostolos eum adduxerint, licet ipsos ingredientes viderent, & talia miracula fecisse cognoscerent. Claudum autem ex utero matris hunc fuisse omnes qui in templo erant, sciebant. unde quia hoc conspicuum erat, ne nominis quidem proprii eius curam ullam habebant ad eum compellendum. sed morbi appellatio nomen quoque eius superabat: læsioque ipsa ex principua notione in nominis vicem abierat. Cum multa autem miracula, ut diximus, ab apostolis fierent, non adducebant tamen ipsum curandum ad apostolos, sicut neque antea ad Christum Iudæi, vel ob invidiam, vel ob infidelitatem: cum nondum eos tanta miracula facere posse existimarent.

*Petrus autem dixit: argentum & aurum non est mihi, sed tibi id do quod habeo.*

Hoc nihil prorsus pecuniarum possedisse eos ostendit. non enim quod nos sepe dicere consuevimus, nunc non habeo, dixit, sed, non est: quod prorsus non subesse ipsi ullam pecuniam declarat.

*IN nomine Iesu Christi Nazareni, Surge & ambula: & apprehensa eius manu dextera excitavit eum & protinus confirmatæ sunt plantæ eius &*

tali . & exiliens constitit & ambulabat : & unâ eū  
 ipsis in templum ingressus est , ambulans & saliens ,  
 & laudans Deum . uiditq; eum omnis populus deambu-  
 bulantem & laudantem Deum , agnoscebantq; illum  
 esse eum qui ad eleemosynam ad speciosum ostium tē-  
 pli confidebat : ob idq; quod ipsi contigerat , admira-  
 tione ac stupore repleti sunt .

Id quod Christus sæpe faciebat in ijs qui im-  
 perfectius erant affecti , dum non verbis tantum  
 curaret , sed etiã attingeret : id nunc Petrus quoq;  
 facit . simulq; dum ipsum excitat , resurrectio-  
 nis mysterium confirmat : & ea de causa , ne ca-  
 su aut sponte id factum esse videretur . Exilie-  
 bat autem vbi surrexit , aut quia non credebat :  
 aut quia tentabat an stabilius & firmitus collo-  
 care plantas posset : aut quia neque sciebat de-  
 ambulare . Quod vero inquit (agnoscebāt illū)  
 propterea addidit , quia post miraculum igno-  
 rabatur : id quod etiã in cæco ab ortu contigit .  
 nos quoque de ijs qui vix agnoscuntur , tali vti  
 loquutione consueuimus . Ambulans & saliens )  
 vnde ex saliendo merito ignorabatur is qui an-  
 tea non modo erat tardus , verum etiã ad ingre-  
 diendum aliorum auxilio indigebat .

Cum uero claudus qui sanatus fuerat , Petrum &  
 Ioannem teneret , concurrat ad eos omnis populus in  
 porticu quæ uocatur Salomonis , stupore correpti .

Tenebat apostolos post sanationem vel ex be-  
 neuolentiã , vt quasi laudes ipsorum prædicaret .

seruatoresque suos omnibus commostraret: vel suspicatus si eos dimisisset, rursus se a morbo correptum iri. tantisper enim liberatum se esse a morbo existimabat, quod diu ipsos continuisset, eosque attingeret. praesertim quia etiam Petrus apprehensum ipsum tenendo sanum reddiderat. In porticu quae vocatur Salomonis) haec sola enim porticus reliqua erat ex fabrica Salomonis. nam templum incendit Nabuchodonosor; Cyrus Persa extruxit.

4. Re. 25. e  
1. Esd. 1. b. e  
4. a. & 5. a

*Viri Israelitae quid admiramini ob hoc? aut quid in nos oculos defigitis quasi propria potestate, uel pietate fecerimus, ut hic deambulet?*

Appellatio Israelis dupliciter sumi potest: in laudem ab Iacob, cui diuinae obedienciae causa Israelis cognomentum attributum est, ab humi reptibus ad coelestes & diuinas & intelligibiles sublimitates traductum: in vituperium ab exitu seminis eius ex Aegypto, quod difficile, & inobediens, & exacerbationis plenum fuit. utroque vero modo sumptum nomen Israelis ipsis affert, vel dedecus, si non obediuerint Deo, ut ipsorum progenitor: vel perditionem, ut qui ex Aegypto promissa sorte non fuerint seruati. quorum utrumque per hoc nomen significatio facit, ut ad alterum amulandum, ad alterum vero fugiendum similis pernicietis metu excitentur. Atque haec quidem concio maiore fiducia plena est, non quod in superiore timuerit, sed quia tunc cum insensu essent & proterui, audire non sustinissent. pro-

Gen. 32. f

pterea illam incipiēs conuerſionem ipsis ab ex-  
ordio pręparat, cū inquit (hoc vobis notum sit,  
& in aures admittite verba mea.) hic nulla hu-  
iusmodi pręparatione indiget. non enim desides  
amplius erant: sed signum claudi omnes ipsos  
conuerterat, timorisque & stuporis plenos reddi-  
derat. Sed vide, quō modo gloriam quę ex hoc  
signo ipsis eueniebat, diminuendo, ac reijciendo,  
nihil magni de se loquatur. quippe cū, si in præ-  
clare a se factis quispiam humiliter se gerat, ac  
loquatur, auditorem magis conciliare consueue-  
rit. Idcirco etiam ipsi contempra humana gloria  
magis se gloriosos reddebant, cum non huma-  
num, sed diuinum factum esse id ostenderent. Cū  
enim inquit (quasi propria potestate) non huma-  
na, sed diuina potestate sanarum fuisse hominem  
declarat. Nazarenus igitur Deus est, cuius nomē  
eum sanauit.

Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus patrum  
nostrorum puerum suum Iesum glorificauit, quem  
uos tradidistis, & negastis in conspectu Pilati, cum  
ille dimittendum eum iudicasset. uos autem sanctum et  
iustum negastis, & uirum homicidam petiistis condo-  
nari uobis, auctorem uero uitę interfecistis, quem  
Deus a mortuis excitauit: cuius nos testes sumus.

Adhuc humiliora persequitur & de se & de  
Christo. de se, cum inquit, non propria potestate  
miraculum se id fecisse: de Christo, cum addit  
puerum: qui enim ex se glorificatus est, additio-  
nem glorię non admittit. Cum igitur & se &

Mat. 27. c.  
Mar. 15. b.  
Luc. 23. c.  
Ioā. 18. g.

Mat. 27. c.  
Mar. 15. b.  
Luc. 23. c.  
Ioā. 18. g.

Christum humiliarit, Iudæorum contra Christum  
 Icelus auget, neq; id offuscet, vt prius: id autem  
 facit, vt magis eos conciliet: quanto enim magis  
 pœnæ obnoxios eos ostendit, tanto magis fit, vt  
 doleant, seq; ipsos Christo subiçiant. Cum vero  
 ait (quem vos tradidistis, & negastis) duo crimi-  
 na obiçit: nam & Pilato tradiderunt ad necem,  
 cum dicerent (nobis interficere quempiam non  
 licet) & negarunt, cum clamarent (non habemus  
 regem, nisi Cæsarem.) Adde q; cum Pilatus q;  
 Græcus erat, & neq; signum vllum a Christo vi-  
 derat, neq; prophetas de Christo audiuerat, ab-  
 soluere ipsum velle: ipsi passi id non sunt, qui et  
 Christum ipsum miracula facientem sæpe vide-  
 rant, et prophetias de ipso sibi explicatas cogno-  
 uerant. Dum vero ait (homicidam petistis) acri-  
 ter admodum potuisse eos Christum absolue-  
 re comprobatur: nam si effecerunt, vt homicida, qui  
 culpæ erat obnoxius absolueretur: nonne multo  
 magis infontem liberare potuissent: sed ipsi e con-  
 trario fontem eripuerunt: infontem interficien-  
 dum tradiderunt. Auctorem autem vitæ cum in-  
 quit, ipsum se ipsum suscitasse Christum, osten-  
 dit. neq; resurrectionem prophetarum testimo-  
 nijs confirmat, sed suo & cœtus apostolorum,  
 quia iam auctoritatem & fidem apud ipsos ha-  
 bebant. Posteaq; vero accumulato crimine vehe-  
 menter molestarat, rursus remittit orationem, ad  
 pœnitentiamq; ipsos inuitat: q; videlicet ex igno-  
 rãtia id egerint, q; que id qd' ab initio fuerat cõ-  
 stitutum, prophetarumque vaticinio prænu-  
 ciatum, præteriri nõ potuerit. Vbi autem hucusque

Io. 18. f  
 Io. 19. c

et 1. 207

processit, nominatim etiam pœnitentiam necessario sumendam monet, quo & peccata ipsorum deleantur, & ex pœnitentia & bona operatione perpetua bona consequi valeant.

*Et in fide nominis eius, hunc quem spectatis & no-  
stis, nomen ipsius confirmavit.*

Hoc est, quid dico credens in nomine eius firmatus est: immo prius q̄ crediderit, nomen solū inuocatum ipsum confirmavit. tantam gratiam nomen infundit. nondum enim crediderat, sed sola nominis inuocatio totum opus effecit.

*Et fides quæ per ipsum est, integritatem hanc coram  
omnibus uobis ipsi dedit.*

Io. 1. 7. a

Quenam fides sit quæ per ipsum prædicata est, ipse exponit: ut cognoscant te solum verum Deum & quē misisti Iesum Christum. ne enim aliquis dicat: ergo etiam si infidelis nomen eius inuocauerit, nihilo minus sanatio succedet: si modo sola nominis inuocatio hunc confirmavit, ac corroborauit: iccirco subiungit: & fides quæ per ipsum est. perinde ac si dicat, magnum quidem nomen est, sanationesque efficiens, sed animas tamen requirit quæ dignæ esse gratia queant. nam si ab infidelibus nomen inuocetur, infidelisque mansurus sit, qui sanatione indiget, nihil huiusmodi efficiet. Q̄ vero inquit (nomē eius ipsum confirmavit) sublime ac perfectum est: & si ibi constitisset, Iudæos exasperasset. cum vero subdit (& fides quæ per ipsum est) rem humilem reddit. Ita enim alia rei naturæ attribuēs, alia affe-

Etui & facultati auditorum accommodās humilia sublimibus vt admittantur, commiscet.

Et nunc fratres ex ignorantia uos fecisse scio, quæ admodum etiam principes uestros. Deus uero quæ prænuñciauit per os omnium prophetarum suorum passurum esse Christum, ita impleuit. pœnitentiam igitur agite, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. cum uenerint tempora refrigerij a facie Domini.

Noui, inquit, ex ignorantia hoc uos egisse, propterea q̄ plerosque uestrum conuerti, ac uelle esse saluos uideo. sciebat enim non ex ignorantia egisse, sed ita inquit, ut aditum ad pœnitentiam eis apperiat. unde inquit (pœnitentiam agite) non de illis quæ perpetrarunt circa crucē sceleribus, in ignorātia enim illorum fuisse eos iam asseruit: sed de alijs peccatis intelligens. At cum ait (tempora refrigerij) in afflictationes multas eos incurfuros, bellaque esse subituros significat: quippe cum ad eum qui ploraturus sit, consolationemque desideret, oratio huiusmodi conueniat. Cum uenerint, inquit, refrigerij tempora, id est temporibus refrigerij quæ a facie Domini, hoc est ex diuina & paterna substantia disposita ac præparata esse ostendit. Neque enim uerisimile est, eos qui in passione Domini contumeliose ita se gesserunt, meritam retributionem non fuisse consequutos: quam sanè Romani exercitibus Vespasianus & Titus in eos intulerunt, qui in Iudaica contra Christum rabie perseuerarunt, qui nō modo ciuili sua administratione fue-

runt priuati, verum etiam post metropolis suæ,  
& templi euerfionem vagi per totum orbem di-  
spersi errant. sique vsque ad corruptibilis huius  
vitæ cōsummationē perseuerarint, nullum vnq̄  
refrigerium adipiscentur. tunc enim Christi de  
cœlo aduentus vniciuique pro merito laborum  
præmia distribuet. Eorum igitur quæ tunc eue-  
nient, notionem Iudæis nunc insinuat, vt illorum  
metu in maiorem pœnitentiam inducantur.

Et miserit eum qui ante prædicatus uobis est, Ie-  
sum Christum: quem cœlum suscipere oportet usq; ad  
tempora restitutionis omnium, quæ Deus per os om-  
nium sanctorum suorum prophetarum a seculo lo-  
quutus est.

Vide quo modo ordinate p̄grediatur: in pri-  
ma concione resurrectionem & in cœlos ascen-  
sum & confessum Christi significauit: hic de ma-  
nifesto eius aduētū mētione facit, quē tēpus refri-  
gerij vocat, i quo resurrectionis nostrę tēpora de-  
clarant: quæ et Paulus inquit, cū inquit (et nos  
qui in tabernaculo hoc sumus grauati ingemisci-  
mus.) Si quis vero refrigerij tempora ad euerfio-  
nem & captiuitatem Hierusalem referat, nihil  
obstat, quo minus intelligi ad eum modum etiā  
possit. nam eos etiam afflictationis & captiuita-  
tis illius dies propter electos truncauit atque ab-  
breuiauit Christus, vt credentes refrigerium in-  
uenirent, & a vehementi illa miseria & necessita-  
te seruarentur. Cum aut̄ superius dixisset, (Deus  
vero quæ prænuñciauit &c.) nullum e scriptura

2. Cor. 5. a

Mat. 24. b

exemplum de crucifixione subiunxit, propterea  
 q̄ cum vnumq̄d'q̄ ex ipsis multis cum crimina-  
 tionibus, punitioneq̄ ipsorum dicatur, tristitiā  
 auditoribus maiore attulisset: id qd' facere mi-  
 nime volebat. simplicius item de Christo loqui-  
 tur auditorum humili atq̄ abiecto adhuc sensui  
 accommodans orationem, nam ad id quod visui  
 expositum est in Domino, id est ad humanitatē  
 eius missio de cœlo: ad futurum autē, eius in cœ-  
 lum susceptio spectat. **Q**uem enim, inquit, opor-  
 tet cœlum suscipere. sed susceptus iā erat assump-  
 tionis tempore. quocirca dicendum est, ipsum  
 hic vel rudius loquutione vsū fuisse: quemad-  
 modum in epistola, vbi de Christo ita inquit:  
 accipiēs enim potestatem a Deo patre, voce ipsi  
 de cœlo allata. ibi enim (accipiens), p (accepit) po-  
 situm est, sicut ad sententię perfectionem oratio-  
 nis cōstructio requirit. qua re etiam hic cum in-  
 quit (quem oportet suscipere) dixit, p (quē oportet  
 tebat.) vel quia non ab omnibus assumptio in  
 cœlos fuerat inspecta, iccirco ipsos sua ipsorum  
 opinione vti permittit. sed cū dixerit tamen cœ-  
 lum ad susceptionem eius q̄ missus fuerat para-  
 rum esse, dum inquit (quem oportet cœlum susci-  
 pere) filium esse eum significat, & coeternum pa-  
 tri, & a patre missum inde vbi simul cum patre  
 viuebat, vtpote filius, et vnigenitus: & indubita-  
 to in cœlum ascensurum, vtpote qui de cœlo de-  
 scenderit, & rursus in patriam sedem absq̄ vlla  
 refragatione rediturum: & vnde ex dispensatio-  
 ne descendit, illic rursus in solio consellurum: vt  
 & filius & cœlestis confirmetur; & demonstre-

2. Pet. 1. d

De 1. c.

Deu. 18. c

Pfal. 71. a

tur idem rursus de cœlo esse expectandus. Atque vt hæc clarius cognosci queant, ad Moysen & prophetas eos relegat. Moyses enim inquit, prophetam suscitabit vobis dominus Deus noster sicut me. & David, descensum eius de cœlo pluuiæ in vellus descendenti comparat. atq; absolute cum ad prophetas ipsos referat, rursus consolatur, quasi, si prophetis obtemperauerint, licet non natura, gratia tamen filios etiam ipsos futuros ex magnifico eius qui exhibet, dono. nam filium etiam natura habet. eius autem qui natura est, & corū qui sunt adoptione filij, maxima differētia est. hi enim ex spiritali prophetarum institutione in filios fuerunt adoptati: ille naturali habitudine filiationem extollit ac magnificat.

ALITER. Quid inquit (quem oportet cœlum suscipere) positum est, p (quem cœlum suscipere necesse est) vt pote qui Deus sit. Cur igitur non dixit, quem cœlum suscepit? sed hoc quasi de superioribus temporibus loquatur, ita protulit. Cum vero ait (vsq; ad tempora restitutionis) causam refert cur nunc non veniat: restituenda enim, inquit & ad finem deuentura omnia sunt, & tunc postea veniet.

Deu. 18. c

*Moyses quidem ad patres dixit, prophetam vobis suscitabit dominus Deus noster ex fratribus uestris sicut me. ipsum audietis in omnibus quæcunq; loquutus ad vos fuerit. eritq;, omnes animæ qui prophetam illum non audiuerit, de populo disperibit.*

Quid est qd inquit, sicut me: hoc sanè, quia

sicut Moyses in Aegypto, ita in Bethlehem nascitur Christus: sicut ille Israelita, ita hic quantum ad carnem: sicut ex genere sacerdotali ille, ita hic ex Dauid per virginem: sicut Pharaeo contra illum, ita contra hunc Herodes. & sicut Pharaeo infantes interficiendos precipit, ita Herodes quoque: masculos Pharaeo, Herodes quoque masculos tollit: ex qua internicione sicut Moyses per matrem, ita per matrem Christus & cum matre seruatur: ille in fiscella apud fluum, hic in Lyco urbe Aegyptia, quae apud eundem fluum sita est: ille ab alienigena Pharaonis filia, hic ab alienigena similiter Pharaonis urbe educatur. Atque haec dico non ut dominum seruo comparem, sed ut tempus & modum conferam, & veritatem in umbra describam.

Exod. 2. a  
Luc. 1. a

Luc. 1. c  
Exo. 1. c. d  
Matth. 2. c

Exo. 2. a. b

Matth. 2. c

Et omnes etiam prophetae a Samuel, & qui deinceps loquuti sunt, dies quoque hos annunciarunt.

Subintelligendum quoque hic est (ad patres nostros) ut sit sententia huiusmodi: et omnes quicumque ad patres nostros loquuti sunt.

Vos filij estis prophetarum & testamenti, quod dicitur proposuit Deus ad patres nostros ad Abraham dicens: et in semine tuo omnes familiae terrae benedicentur. Vobis primum Deus cum suscitavit filium suum, misit ipsum qui benediceret vobis, ut auertat se unusquisque ab improbitatibus suis.

Gen. 12. a

Vos estis, inquit, filij prophetarum. quasi diceret, ne timeatis, neque putetis a promissionibus

vos esse alienatos : vos estis filij prophetarum, quare vobis hæc dixerunt, & facta hæc propter vos sunt. sed vos quidem filij estis prophetarum, hic filius Dei est substantię patris particeps: qui et illos sui participes reddidit. Vos estis filij prophetarum et testamenti, id est hæredes. nam si filij sunt, hæredes quoque sunt. hæredes autem non recenter ascripti, sed iamdiu, vt pote filij. Atque vt ostendat quantum ad adoptionem attinet, si modo etiã ipsi voluerint, hæredes ipsos quoque perinde ac filios esse: vobis, inquit, tanq̃ filijs filium suum Deus misit: misit quidem etiam alijs, sed vobis primum: neque id tantummodo, sed etiam primum. i. præcipue illis qui cruci ipsum fixerunt & interfecerunt. sed quando? non nunc solum, sed & ante crucem, tantumque facinus, et post resurrectionem. vnde inquit, vobis primũ cum suscitavit filium suum. vt quid faceret? vt benediceret, & saluos faceret vos, si modo etiam vos a vitijs & improbitatibus vestris velitis auertere uos, ac recedere.

De pontificum inuidia ob miraculum, & Petri & Ioannis comprehensione: tum eorundem dimissione facta  
 comminatione ne amplius Christum prædicent: de oratione ab ecclesia eam ob rem facta & gratiarum actione ad Deum. Cap. IIII.

**C**V M uero ipsi loqr̃etur ad populũ, supuenerũt ipsis sacerdotes, & dux tẽpli, et Sadducæi dolẽtes q̃ docerent populum, & in Iesu resurrectionẽ ex mortuis annuntiarent: manusq; in ipsos iniecerũt, posueruntq; in custodiam in crastinum: erat enim iam